



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XXXVII. Expenditur tertia conditio ex parte personæ merentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

quia quod datur propter merita futura, datur dependenter ab operibus futuris; Christus autem omnia dona habuit, tanquam proprietates sibi connaturales, & ut absolute sua, sine aliqua dependentia à futuris; cum hic modus habendi esset imperfectus: non etiam fuit promeritus per alium actum antecedentem; alioqui jam iste non esset primus, ut supponimus: non denique per se ipsum, cum sui ipsius meritorius esse non possit; alioqui principium meriti caderet sub merito; ergo &c.

770. Circa alios actus meritorios, & gratiam actualem, sive excitantem, sive adjuvantem ad illos requisitam, negat absolute P. Granad. cecidisse sub meritum; siquidem actus meritorii sunt ratio formalis merendi; & omnis gratia actualis fuit debita Unioni Hypostaticæ; ergo non debuerunt mereri; alioqui jam illi habuissent rationem præmii, & non meriti, & hæc non esset debita, sed gratuita.

771. Nihilominus P. Soar, cit. distinguit in prædictis actibus, aut prout erant à solo Deo, ut Deus est: aut prout erant à voluntate Christi liberè operante: aut prout erant à Personalitate Verbi dignitatem, & valorem conferente; additque eos actus, prout erant à Deo, cecidisse sub meritum; consequenterque omnem gratiam actualem, & omnes effectus supernaturales Providentiæ circa Humanitatem; siquidem prout sic nihil deficit ex conditionibus requisitis ad meritum: Secus tamen, si accipiuntur, prout erant à voluntate Christi, aut Personalitate Verbi; siquidem prout erant à voluntate, erant omnino ipsius Christi; nemo autem meretur suum quatenus suum est: & prout erant à Personalitate, ita accipiebant valorem, ut talis valor impediri non posset; nemo autem meretur id, quod necessitate logicâ sequendum est.

772. Colliges quartò, Christum Dominum meruisse gloriam Corporis sui, neque hoc sine temeritate negari posse, ut cum D. Thom. D. Basil. D. Aug. D. Chryso. D. Ambr. D. Anselm. & aliis docet P. Soar. tomo 1. in 3. part. d. 40. sect. 3. P. Vasq. d. 79. cap. 1. ubi hanc veritatem appellat Catholicam. Probatur primò ex illo Luc. 24. *Nome oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, &c.* Et ad Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et ad Hebr. 2. *Vidimus IESUM propter passionem mortis gloriâ, & honore coronatum:* quæ loca de gloriâ corporis per passionem obtentâ intelligenda sunt, & ea intelligunt Sancti Patres citati. Secundò ratione, quia hic habuerunt locum omnes conditiones necessariæ ad meritum, & cæteris paribus perfectius est habere aliquid ex merito, quàm sine illo, ut rectè cum D. Thom. docet P. Soar. cit. sed Christo Domino concedendum est, quod magis cedit in illius dignitatem, honorem, & perfectionem, attentis regulis Providentiæ Divinæ, convenientiâ, ac decentiâ statûs; ergo &c.

773. Neque obstat huic merito, quod aliis titulis, & nominibus hæc gloria esset debita Humanitati Christi Domini; siquidem bene potuit illis titulis adjungi ratio meriti, & hoc est perfectius: sic enim adultis existentibus in gratia debetur gloria titulo hæreditatis; & tamen ipsis rectè operantibus debetur alio titulo, nempe de condigno propter merita.

774. Colliges quintò, Christum Dominum etiam meruisse impassibilitatem suæ animæ, quam ab instanti mortis statim obtinuit; siquidem non debet hæc perfectio negari animæ Christi, quæ conceditur omnibus animabus justis, quæ post ipsius Christi mortem, nulla indigent purgatione. Simi-

liter meruisse resurrectionem suam, & omnes doctes corporis gloriosi, ut cum D. Thom. docet P. Soar. cit. siquidem illam merentur alii iusti, sicque magis illam meruit, cum potuerit, Christus Dominus: sicut etiam meruit triumphum suæ Ascensionis, exaltationem sui nominis, juxta illud Joan. 12. *Pater salvifica me ex hac hora, & venit vox de celo dicens: Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Undè D. Aug. tract. 104. in Joan. *Humilitas, inquit, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* Et expressius ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, &c. Propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Colliges sextò, etiam meruisse Christum Dominum suæ dignitatis manifestationem post Baptismum Matr. 3. post transfigurationem Matr. 17. in Nativitate per Angelos Luc. 2. in Adoratione Magorum Matr. 2. Similiter meruisse aliquo modo regnum, & dominium super universon orbem juxta illud Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominetur.* Ex Psal. 2. & Psal. 21. Siquidem hoc etiam pertinet ad externam gloriam, & manifestationem nominis illius.

Dices: Christus Dominus habuit hoc regnum, & dominium ab instanti suæ conceptionis ratione Unionis Hypostaticæ; ergo illa non meruit, sicut diximus non meruisse suam beatitudinem. Respondet cum P. Soar. cit. illa quidem habuisset principio quasi in radice, & proprietate, & prout sic non illa meruisse, sicut etiam ob eandem rationem non meruit dignitatem capitis: caruisse tamen veluti possessione, & usu hujus dominii, & dignitatis, & hoc modo illud dicimus postea meruisse, ut dixit D. Bernard. lib. 3. de Considerat. *Christum merito Redemptionis vendicasse sibi possessionem cali & terræ: juxta illud Matr. 28. Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra.*

Colliges septimò, etiam meruisse Christum Dominum judicariam potestatem, ut docet D. Thom. 3. part. quest. 59. art. 3. & cum eo P. Soar. tomo 1. in 3. part. d. 40. sect. 3. & sicut tomo 2. d. 57. per tertiam. Quod D. Thom. confirmat ex illo Job. 36. *Causa tua tanquam impij judicata est, causam, iudiciumq. recipies:* Quæ verba Christo accommodat, licet D. Greg. lib. 26. Moral. cap. 25. de omnibus iustis injusta patientibus illa intelligat. Magis tamen confirmatur ex illo Joan. 5. *Dedit illi iudicium facere, quia Filius hominis est.* ut latè tractat D. Aug. serm. ultim. de Verb. Domini.

## SECTIO XXXVII.

### *Expenditur tertia conditio ex parte personæ merentis.*

**T**ERTIA conditio ex parte personæ merentis est, quod persona merens sibi tantum, & non alteri condignè mereatur, circa quam conditionem aliquæ sunt difficultates excitandæ. Sit igitur.

Difficultas I. Utrum purus homo iustus (idemq. dicendum de Angelo,) possit de lege ordinata, sicut sibi, ita etiam alteri, sive iusto, sive peccatori de condigno mereri apud Deum? Negative. Ita D. Thom. 1. 2. d. 114. art. 6. & ibi expositores id tanquam certum supponentes; idemque in 3. part. q. 1. art. 3. & quest. 19. & in 3. dist. 20. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 16. à num. 3. P. Lugo de Incarnat. d. 5. sect. 8. num. 147. P. Ripal. tomo 2. d. 96. num. 3. P. Arr.

P. Ariaga d. 54. sect. 3. P. Tanner, tomo 2. d. 6. q. 6. dub. 7. num. 176. & alii infra citandi. Probatur primò autoritate Scripturæ, quæ agens de præmio vitæ æternæ, semper supponit dari secundum uniuscujusque opera, & merita, ut Apoc. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Et cap. 22. 12. *Ecce venio cito... reddere unicuique secundum opera sua.* Et 2. Cor. 5. 10. *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et Matt. 25. ubi D. Hieron. ad illud: *Ne forte non sufficiat nobis.* Unusquisque enim, ait, pro operibus suis mercedem recipiet, neque in die iudicii aliorum virtutes possunt aliorum vitia sublevari; ergo quoad præmium beatitudinis nihil profuit, nisi opera propria ex gratiâ facta.

779. Probatur secundò ex doctrina Ecclesiæ universaliter proponentis fidelibus iudicium, & retributionem suorum operum, quod satis aperte docuit Trid. sess. 6. cap. 16. quatenus dicit, *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponendam esse vitam æternam tanquam mercedem ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddendam.* Confirmatur autoritate Sanctorum Patrum D. Chrylost. hom. 13. ad populum, in finem. ubi dicit, unum non aliis, sed sibi mereri, quia de factis suis uniusquisque iudicandus est. Et D. Aug. lib. de Peccator. merit. cap. 14. & tract. 4. & 5. in Joann. ubi docet, proprium Christi esse, sanctificare alios, utique merendo illis gratiam, & remissionem peccatorum. Et tract. 73. & 102. in Joann. docet, neminem posse orando pro alio infallibiliter pro illo impetrare; ergo à fortiori neque alteri mereri; siquidem merito de condigno præmium infallibiliter respondet. Accedit, quod Sancti Patres communiter dicunt, quod in beatitudine pro diversitate meritorum alius magis, & alius minus fulgebunt, ut ait D. Aug. serm. 59. de tempore; ergo illud præmium solum secundum proprium meritum reddendum est.

780. Probatur tertio rationibus: Prima ex P. Vasq. 1. 2. d. 77. cap. 3. & 3. part. d. 213. cap. 5. quia meritum formalissimè consistit in laudabilitate; sed laus operantis non potest alteri communicari; non enim potest unus reddere alterum laudabilem suâ operatione, sed tantum se ipsum; alioqui possem ego dicere: *Bene operabor, & tamen ob id laudaberis;* ergo neque poterit quis alteri, sed tantum sibi mereri. Non placet P. Soar. cit. num. 4. neque P. Ariaga cit. num. 14. Primò, quia fallum assumit, laudabilitatem non distingui à merito; siquidem D. Thom. 1. 2. quest. 21. art. 2. & 3. distinguit in actu bono esse laudabilem, aut esse meritorium tanquam duas proprietates distinctas, quatenus actus non dicitur laudabilis respectu alicujus particularis personæ superioris, inferioris, aut æqualis, sed generaliter respectu cuiuscumque rectè iudicantis: dicitur autem meritorius respectu determinatæ personæ, apud quam quis meretur, quæ ordinariè superior, & potentior esse solet.

781. Secundò, quia est longè diversa ratio, nam laus nihil aliud est, quam conceptus alterius, & verba illam explicantia, nempe conceptus de generositate militis; sicut igitur generositas est propria militis, non fratris, ita etiam repugnat, ut laus ex eo facinore tribuatur fratri: at verò præmium, cum sit id, quod donat remunerans, potest ad desiderium merentis dari alteri, cui ille velit; siquidem præmium non est res, quæ essentialiter respiciat operantem; ergo licet non possum ego dici strenuè pugnasse, quia alius strenuè, & laudabiliter pugnavit; bene tamen in me potest transferri præmium, quod alteri pugnanti debebatur, sicque mihi mereri. Igitur.

782. Secunda ratio est, quia meritum de condigno, ut patet ex supra dictis, radicitur in gratiâ sanctificatè; sed gratiâ sanctificans uniuscujusque solum tendit ex natura sua ad beatitudinem illius personæ, cuius est gratiâ, ut potè quam solum constituit hæredem, & filium adoptivum; ergo gratiâ uniuscujusque solum potest esse principium merendi de condigno vitam æternam personæ, cui inest, non verò aliis; siquidem opera à tali gratiâ procedentia non possunt habere valorem, & condignitatem cum gloriâ alteri conferendâ, cum non possint ad illam ordinari tanquam ad hæreditatem debitam merenti, ratione suæ gratiæ propriæ.

783. Tertia ratio est, quia Deus non ordinavit, neque proposuit homini in præmium, & coronam gloriæ alterius, sed tantum propriam, ut patet ex locis Scripturæ citatis; atqui nemo in stadio currens potest mereri aliud bravium, & coronam, quam illam, quæ à Principe est in præmium vincensibus, sive merentibus proposita; ergo nemo alteri, sed tantum sibi gloriæ meretur. Confirmatur primò, quia meritum condignum debet esse veluti dispositio ad sanctificationem propriam illius personæ, cui gloria tribuenda est; sed nemo potest rectè disponi per actiones alterius; siquidem dispositio debet esse affectio intrinseca ejus, qui disponitur; ergo sicut nemo potest fieri studiosus per actiones, & opera alterius, ita neque disponi ad maiorem sanctitatem, & gloriam consequendam.

784. Confirmatur secundò, quia meritum cuiuslibet iusti, cum sit finitum, cuiuslibet ejus operi finitum præmium respondet; ergo non posset quis de condigno alteri gratiam, aut gloriæ mereri, quin similibus gradibus gratiæ, & gloriæ se ipsum privaret; siquidem fieri non potest ut quis sibi, & alteri simul mereatur totam gratiam, & gloriæ suo operi respondentem; sed in hoc apparet indebitus ordo, & minimè consentaneus charitati, quam quisque tenetur habere ad propriam sanctitatem & gloriæ apud Deum; ergo meritò Deus ita ordinavit præmium essentialè, ut unusquisque sibi soli possit illud mereri.

785. Obijcies 1. Homo iustus merendo præmium apud Deum, facit illud sibi proprium, sicut mercenarius mercedem; hoc enim nomine appellatur gloria iustis tradenda; sed mercenarius potest mercedem sibi debitam alteri applicare, & donare; ergo etiam merens poterit sic alteri applicare, & donare præmium, sive gloriæ sibi debitam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia gratiâ, & gloriâ non est ex mea voluntate transferibilis à me in alium, sicut est pecunia, sed solum ex voluntate Dei, qui licet possit illam ita transferre de potentia absoluta, ut infra dicemus, non tamen de lege ordinaria, ut patet ex dictis; siquidem de facto non dat Deus neque gratiam, neque gloriæ, nisi in præmium merentis: sic enim casu, quo Princeps militi decertanti proponeret in præmium nobilitatem sibi propriam, non posset talis miles præmium illud in alium transferre.

786. Obijcies 2. Iustus potest de condigno satisfacere pro peccata temporaliter debita peccatis alterius, ut est communis sententia; ergo etiam poterit alteri de condigno mereri præmium supernaturale. Respondeo concessio antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Deus unum concessit de facto, & non aliud. Et ratio hujus jam assignata est, quia si iustus non sibi, sed alteri mereretur, privaret se majori sanctitate, & donis sibi intrinsecis, magniq; momenti, quod non fuit conveniens de lege ordinariâ, ideoq; Deus ordinavit, ut quisque sibi

sibi & non alteri mereretur : at verò remissio pœnæ temporalis, pro qua fit satisfactio, non pertinet per se ad majorem, aut minorem sanctitatem animæ, ac proinde in hoc non se privaret homo dono aliquo sibi intrinseco, magni quæ momenti, ideoque disposuit Deus, ut possit pro pœnâ temporali alterius satisfacere.

787. Instabis: Homo in tali satisfactioe alteri applicatâ maneret cum reatu pœnæ propriæ, quam poterat delere, si pro se satisfaceret; & tamen hoc non obstante, potest alteri applicare suam satisfactioem; ergo etiam suum meritum. Respondeo, justum ita pro pœnâ temporali alterius satisfaciendum, posse non habere ullum reatum pœnæ propriæ, quia poterit jam satisfecisse pro omni pœnâ à se debita: aut si habeat, talem reatum non minuere ejus sanctitatem, neque esse magni momenti comparativè ad sanctitatem, quæ se privaret merendo alteri.

788. Objicies 3. Christus Dominus nobis meruit de condigno gratiam, & gloriam, quasi donando nobis sua merita; ergo idem poterit tacere quilibet justus. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia de Christo Domino ita disposuit Deus, ut constat ex Scripturis, fuitque conveniens, cum eum mitteret, ut esset hominum Redemptor, & Sanctificator: præsertim cum hoc ipsi nullum posset asserere incommodum, sed potius gloriam: tum quia Christus Dominus non fuit justificatus, neque glorificatus ex meritis, sed ex debito Unionis, sicque donando aliis sua merita, nullo se privavit bono spirituali: tum etiam, quia cum meritum Christi Domini fuerit infinitum, licet ex propriis meritis gloriam sibi compararet, posset nihilominus eam sibi, & aliis promereri sine ullo ipsius detrimento, aut incommodo: quod aliter dicendum est de merito finito aliorum justorum.

789. Difficultas 2. Utrum hoc, quod diximus de merito gloriæ essentialis, intelligendum etiam sit de quocunque alio dono gratiæ: & de quovis præmio accidentali? Affirmativè. Ita D. Thom. P. Soar, tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 16. num. 9. & alii. Probatum prima pars, quia cum gloria correspondeat gratiæ, nemo etiam sibi meretur gloriam, aut ejus augmentum, quin etiam sibi mereatur gratiam, & ejus augmentum; ergo è contra non potest sibi mereri gratiam, & ejus augmentum, quin etiam sibi mereatur gloriam, & ejus augmentum; ergo à fortiori non poterit alteri mereri gratiam, & ejus augmentum, quin etiam ei mereatur gloriam, & ejus augmentum; sed homo justus non potest de lege ordinaria mereri alteri de condigno gloriam essentialem, & ejus augmentum, ut diximus; ergo neque poterit sic alteri mereri gratiam habitalem, & ejus augmentum.

790. Probatum secunda pars, quia præmium, & gloria accidentalis subsequitur gloriam essentialem, tanquam proprietates suam naturam; ergo illam, ejusque meritum supponit; sed homo justus non potest alteri de condigno mereri gloriam essentialem; ergo neque accidentalem. Hinc colliges primò, quod diximus de gratiâ sanctificante, dicendum etiam esse de charitate, quæ eandem proportionem servat cum gratiâ; consequenterque de aliis virtutibus, & donis per se connexis cum gratiâ, & charitate. Secundò, idem etiam dicendum de habitibus fidei, & spei; siquidem tales habitus, licet non sint ita connexi cum gratiâ, ut non sint ab illa separabiles, pertinent tamen ad substantialem justitiam, & postulant bonam suscipientis dispositionem, sicque eadem de illis est ratio. Tertio, idem similiter dicen-

dum de auxiliis gratiæ; siquidem hæc non dantur, nisi in ordine ad vitam æternam consecutionem: qui autem non potest alteri de condigno mereri finem, neque media ad talem finem potest eidem de condigno mereri.

Difficultas 3. Utrum purus homo justus (idemque dicendum de Angelo,) solum de potentia Dei absoluta possit alteri etiam justo de condigno mereri? Affirmativè. Ita D. Thom. 1. 2. quest. 114. art. 6. & 3. p. quest. 8. art. 3. & quest. 64. art. 4. Quidquid Recentiores quidam Thomistæ aliter judicent. Tenent etiam Durand. in 3. dist. 2. q. 2. Caiet. in 3. p. quest. 1. art. 2. S. Ad horum. Sor. in 4. dist. 1. part. 5. art. 6. P. Soar. tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 16. num. 11. & tom. 1. in 3. part. d. 4. sect. 7. S. Dico jam primò, Palud. in 3. dist. 10. Vega lib. 3. in Trid. cap. 15. P. Granad. contr. 1. de Incarnat. tract. 2. d. 1. sect. 3. & 4. Cabrer. in 3. part. d. 12. conclus. 1. Lorca ibid. d. 6. à num. 16. Zumel. 1. 2. quest. 114. art. 6. dub. 1. P. Hurt. tom. 1. in 3. part. d. 52. sect. 6. num. 37. P. Tanner. tom. 4. d. 1. quest. 2. dub. 8. P. Lugo de Incarnat. d. 5. num. 147. Alens. in 3. p. q. 11. memb. 3. D. Bonav. in 3. dist. 13. art. 2. q. 2. Richard. art. 3. quest. 2. Gabr. quest. 1. art. 3. Almain. ibidem. Marfil. in 3. quest. 10. art. 1. ad 3. quos citat, & sequitur P. Ripal. tom. 2. d. 96. sect. 2. num. 18. P. Ariaga d. 54. sect. 3. num. 16. P. Amicus de Incarnat. d. 5. art. 251. Wading. ibid. d. 1. dub. 5. P. Oviéd. 11. cap. 7. num. 60. & alii. Probatum primò, quia in eo nulla apparet repugnantia, ut ex solutione argumentorum patebit; sed Deo solum id, quod repugnat, negandum est; ergo &c.

Probatum secundò, quia si daretur aliqua repugnantia, aut esset ex parte præmii, nempe Visionis Beatæ; aut ex parte subjecti illam recipientis; aut ex parte operis illam merentis: Non primum; siquidem Visio Beata ut quatuor v. g. Petro data, esset eadem cum Visione etiam ut quatuor data Paulo, imò posset esse eadem omnino numero: Non secundum; siquidem supponimus, tam merentem, quam recipientem Visionem Beatam esse in gratiâ: Non tertium; siquidem opus habet proportionem cum præmio, & solum ei deest ordinatio Dei, qui sine ullo inconvenienti potest, si velit, tale opus acceptare pro persona aliena, cujus non est tale opus, cui dabitur præmium de condigno, utpote cui non plus dabitur, quam mereatur actus, quod est remunerare juxta condignum; sic enim casu, quo emerem librum ex pecunia mea, talis emptio esset ex justitia, sive pro me, sive pro alio emerem; ergo &c.

Probatum tertio, quia Christus Dominus de facto nobis promeruit de condigno gratiam & gloriam; ergo etiam de possibili poterit Deus pacificè cum puro homine justo, ut possit alteri de condigno mereri ita dicens: gratiam, sive gloriam, quam tibi daturus eram ob tua merita, dabo alteri, si volueris, in remunerationem tuorum meritorum: hoc enim pacto, inito, & acceptato, tenebitur Deus dare gratiam sive gloriam alteri, cui merens applicaverit præmium sibi dandum ob talia merita, idque tanquam præmium condignum, non alterius, sed ipsius merentis, & illud applicantis. Confirmatur, quia etiam inter homines, licet miles regulariter pugnando mereatur sibi præmium, non tamen implicat, quod ex acceptance Principis, possit illud alteri de condigno mereri; ergo sic etiam erit apud Deum.

## SECTIO XXXVIII.

Proponuntur alia fundamenta, &  
in contrarium adducta  
dissolvuntur.

794

**P**ROBATUR quartò cum Durand. P. Soar. P. Granad. & aliis, quia Deus de facto constituit Adam caput cæterorum hominum, ut eo peccante, & gratiam demerente, cæteri de condigno privarentur dono gratiæ; ergo etiam potuit eundem condere cæterorum caput ad transfundendam in eos gratiam ipsius merito condigno; siquidem non datur major ratio, cur ex institutione Divina possit alterius demeritum aliis de condigno obesse, & non possit similiter alterius meritum aliis de condigno prodesse. Confirmatur, quia Deus potuit Adamo præcipere, ut sua opera in aliorum sanctificationem referret, & illi promittere, decretoque sancire, ut eo bene agente, propter ipsius obedientiam posteriori nascerentur justii; sed tunc nihil deficeret merito condigno gratiæ alienæ, sicut modò non deficit ejusdem demerito; ergo &c.

795

Non placent: Primò, quia si Adamus constitueretur caput hominum in ordine ad meritum, sicut constitutus est in ordine ad demeritum, sive peccatum, falsò supponitur, tunc alios obtenturos gratiam ex merito alieno, & non ex proprio; siquidem tunc meritum Adami esset moraliter posteriorum meritum per transfusionem voluntatum eorum in voluntate m. Adami; sicut nunc ejus demeritum est moraliter posteriori demeritum ob eandem voluntatum transfusionem; ideoque nunc pueri non damnantur propter alienum Adami peccatum, sed propter peccatum originale unicuique proprium; ergo idem dicendum de merito in facta suppositione.

796

Secundò, quia sequeretur, justum posse aliis mereri de condigno longè majus præmium gratiæ, & gloriæ, quàm sibi; siquidem sibi per actum charitatis v.g. ut unum, solum posset mereri unum alium gradum gratiæ, & gloriæ; aliis verò, eo pacto, mereretur innumeros, & penè infinitos, cum innumeri, & penè infiniti homines possent constitui membra Adami in ordine ad transfusionem meriti, sicut constituti sunt in ordine ad transfusionem peccati; sed non videtur dicendum, actum justii non valentem sibi mereri de condigno, nisi unum tantum gradum gratiæ, posse aliis innumeros, & penè infinitos mereri de condigno; ergo &c. Undè:

797

Advertes hinc, duobus modis posse justum constitui caput aliorum, ut suo merito de condigno in eos gratiam deriveret. Primò quidem eo modo quo Adamus constitutus est in ordine ad demeritum, nempe ita ut, transferente Deo prius voluntates aliorum in voluntatem capitis, hujus merito non solum propagetur & multiplicetur præmium gratiæ, sed etiam ipsum meritum condignum in alios, sintque tot merita diversa, quot in singulis sunt voluntates diversa, ut de facto demeritum & peccatum Adami propagatur & multiplicatur in singulis posteriorum. Secundò autem eo modo, quo Christus Dominus de facto constitutus fuit hominum caput, nempe ita ut merito capitis transfundatur in membra præmium gratiæ, quin transfundatur ipsum meritum, eo quod voluntates membrorum in voluntatem capitis non sint translatae, nec una, & eadem cum illa reputentur, sed solo capite

Tom. 2.

merente, membra ejus participant effectum meriti ipsius capitis; sicut nos merito Christi Domini facti sumus participes gratiæ, quam nobis meruit, quin cum illo fuerimus illam merentes. Et in hoc sensu, non autem in priori intelligenda est præfens quæstio, quæ alterius:

798

Probatur quintò, quia gratia habitualis in justo tribuit ejus operibus valorem satisfactorium de condigno pro pœnâ alterius, ut omnes concedunt; ergo etiam sic poterit eis tribuere valorem meritorem pro alterius gratia. Probatur consequentia, quia dignitas gratiæ habitualis secum defert, & movere voluntatem remunerativam Dei ad retributionem præmii, quæ est vis meritoria; & movere voluntatem Dei vindicativam ad remissionem pœnæ, quæ est vis satisfactoria; sed hæc gratia in justo potest extendere vim satisfactoriam pro pœna ipsius justii ad satisfactionem pro pœna alterius; ergo etiam sic poterit extendere vim meritoriam ipsius justii ad remunerationem alienam.

799

Dicent, satisfactionem pro pœna non exhiberi per modum meriti, sed solutionis; solutionem autem posse à creditore acceptari faciendam ab alio, quàm à debitore, cum id arbitrio & gratiæ creditoris sit subiectum. Sed contra primò, quia etiam meritum potest exhiberi per modum solutionis; ergo tunc præmium, sive donum alteri præstitum, poterit solvi merito alterius. Secundò, quia juxta communem Theologorum sententiam, merens est creditor habens jus in præmium à Deo conferendum, & Deus est debitor talis præmii; sed homo satisfaceret Deo pro debito pœnæ alterius, quia Deus gratiosè acceptaret ejus solutionem, & pœnam pro alio; ergo etiam Deus poterit satisfacere juri hominis merentis dono, seu præmio alteri collato, quia merens acceptat tale donum ut sibi collatum; sicut Dux merens apud Regem acceptat honores suis militibus tanquam sibi collatos. Tertio, quia tam dignus est ipse, qui peccavit, ut luat pœnam, quàm dignus est, qui meruit, ut suscipiat præmium; sed illius peccatum potest alterius pœnâ puniri; ergo etiam hujus meritum alterius præmio remunerari.

800

Probatur sextò, quia justus potest ex natura rei mereri aliis dona gratiæ de congruo, ut ipsi Adversarii concedunt; ergo etiam divinitus poterunt sic ea aliis de condigno mereri; siquidem meritum condignum, & congruum in eo tantum differunt, quod illud sit æquale præmio, hoc autem inæquale, quam inæqualitatem potest Deus compensare; ergo cum non differant per se ex subiecto recipiente præmium, sed ex inæqualitate operis cum illo, quæ divinitus est compensabilis, rectè poterit justus mereri aliis de condigno dona gratiæ, quæ de facto meretur de congruo.

801

Dicent, posse quidem mereri aliis de condigno auxilia gratiæ, quæ de facto meretur de congruo; non tamen immediate gratiam ipsam justificantem, quam de facto neque de congruo aliis immediate meretur, sed solum mediata, quatenus eis meretur auxilia gratiæ. Sed contra, quia jam eorum fundamentum corrumpit, quod in eo nititur, quod gratia non potest tribuere condignitatem ad merendum quidquam aliis, cum tamen concedant, posse justum aliis de condigno mereri auxilia gratiæ, ex quo promptum est arguere ad meritum etiam immediatum gratiæ sanctificantis, cum non detur major ratio.

802

Probatur septimò, quia opus bonum sive naturale, sive supernaturale (idem enim de utroque videtur dicendum,) quæ meritorium, & obsequiosum est

X x

est